

IN SYMBOLVM APOSTOLORVM

**Luc. 1.** omnes rationationes humanas in operibus diuinis. Quibus omnibus hoc vno verbo respondetur: Quia non est impossibile apud deum omne verbum. Quum em̄ infinita sit & incomprehensibilis dei potentia, stultum est disquirere, quomodo hoc vel illud fecerit. Ex quo hunc fructum homo fidelis capit, vt quemadmodum credit deum omnipotentem, hunc mundum, quum nondum esset, condidisse, atque alia omnia quæ deum fecisse sacra scriptura commemorat. Ita credit simul futurum, quicquid ille futurum promisit vel prædixit, quãdo nutu quicquid vult potest, quantumuis homini videatur impossibile. Ita sit, vt incipiat homo suis & quibullibet humanis viribus diffidere, & totus ab illo pendere, qui potest omnia, cui nemo resistit aut dicit, Cur sic facis? Quum autem sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri nõ potest, & quod ait Apostolus, negare seipsum non potest, quod hæc omnipotentie repugnent. In hoc autem articulo quum dicimus, Credo in deum patrem omnipotentem, filium aut spiritum sanctum omnipotentem non negamus, sed asruimus, patris & filij & spiritus sancti, sicut est eadem essentia & omnipotentia, sic & eadem sempiternitas.

Fiducia in deum vnde lob. 9  
Aug. de symbo. ad catechu. li. 1. ca. 1  
2. Timoth. 2  
De sym. ad cate. li. 2. ca. 3

Pater ex nihilo oia condidit p̄ filiũ.

Psal. 33

Psal. 148.  
Verbum qd & filius.  
Aug. de fide & sym. ca. 3

Sapient. 7.  
Verbũ quod dicitur.

Nulla similitudo conueniens ad iudicanda diuina.  
Verbũ, virtus & sapientia patris, Iohan. 1

**Creatorem celi et terre,** Qui condidit cælũ & terram, & quæ cunq; cælo terraq; continentur, visibilia & inuisibilia, idq; ex nihilo per coæternum verbum suum, id est, filium, sicut psalm. xxxij. legimus: Verbo domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Et deinde: Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Quod tamen verbum non sicut verba nostra debemus accipere seu intelligere. Nam hæc vere atque ore prolata verberato aere transeunt, nec diutius manent q̄ sonant, Quum illud æternum verbum incommutabile maneat, nam de ipso dictum est, quum de sapientia diceretur, in seipsa manens, innouat omnia. Ideo verbum patris appellatum, quia per ipsum innotescit pater. Sicut enim verbis nostris hoc agimus, quum verum loquimur, vt animus noster innotescat audienti, & hoc conamur & verbis, & ipso sono vocis, & vultu & gestu corporis, vt animum ipsum nostrum, in nobis quidem manentes (quoad fieri potest) cognoscendum et perspicendum animo auditoris inferamus, quod intus est demonstrare cupientes. Sic deus pater, verbum ad seipsum indicandum genuit, quanquam hæc similitudo infinitam dissimilitudinem habeat. Deus em̄ quum verbum genuit, id quod est ipse ab æterno genuit, in illud essentiam suam transfundens. Vnde & virtus & sapientia eius dicitur, quia per ipsum operatus est, et disposuit omnia. Et ne quis in hac rerum creatione somniet præexistentem materiam, diuus Iohannes ait: Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factũ est nihil. Quod et Apostolus exerte

pro